

nacione Anglicus. Hic iussu et auctoritate Zacharie pape Pippinum patrem magni Karoli¹ unxit in regem Franckorum anno Domini 754, cum antea esset maior domus, id est secundus post regem sive procurator pallacii et regni. Hoc tempore incepit regnum Karolorum, qui Grecorum imperium postea Rome obtinuerunt, ita ut Romani imperatores nominarentur et essent. Sanctus Bonifacius predicacione sua multos populos Thuringorum et Hassiorum et Austrasiorum ad fidem rectam convertit. Ipse eciam primus monasteria monachorum et virginum in partibus Germanie instituit. Anno autem episcopatus sui 36², cum in Fresia verbum Dei predicaret, martirio coronatus est anno Pippini imperatoris 15, quem ipse in regem unxerat³.

Lullus.

Lullus archiepiscopus, collega et discipulus sancti Bonifacii, rexit⁴ annos 22 tempore Pippini et pariter Karoli magni; obiit autem 813⁵.

Richolfus.

Richolfus archiepiscopus annos 22⁶ tempore Karoli magni. Hic construxit claustrum sancti Albani extra civitatem Maguntinam⁷; obiit autem 813.

Hastolfus.

Hastolfus archiepiscopus annos 12. Anno primo vel secundo episcopatus sui obiit Karolus magnus. Fuit discipulus sancti Lulli. *Cuius tumba adhuc⁸ habetur in muro capelle sancti Bonifacii in monte sancti Albani. Obiit 826⁹.*

Otgarius.

Otgarius archiepiscopus annos 26¹⁰ tempore Ludowici imperatoris et Lotharii filii eius. Qui de Ytalicis partibus ab urbe Ravenna corpora, videlicet sancte Vincencie uxoris¹¹ sancti Severi episcopi, et virginis sancte Innocencie, filie eiusdem Sancti Severi, ad montem Sancti Albani transduxit. *Iste similiter sepultus est in muro cappelle sancti Bonifacii [et siti¹²] in monte sancti Albani. Obiit 847¹³.*

Rabanus.

Rabanus archiepiscopus annos novem tempore Lotharii. Hic ante episcopatum fuit Fuldensis abbas. Iste est Rabanus qui plures libros composuit, sepultus in monte sancti Albani, sed dicitur corpus suum esse in Fulda. Obiit 856.

Karolus.

Karolus archiepiscopus annis octo tempore Ludowici imperatoris. Obiit 890¹⁴.

Lyutbertus.

Lyutbertus archiepiscopus annos 26, etiam tempore Ludewici imperatoris, insuper tempore Karoli senioris et Karoli iunioris.

Synderoldus.

Synderoldus archiepiscopus annos tres tempore Arnolffi regis. Hic Wormacie a Nortmannis¹⁵ occisus est, obiit autem 891.

1) 'Karoli' Hs. Dieser Satz aus Ann. S. Disib. 750. 2) Corr. aus XXXV. Dieser Satz aus Ann. S. Dis. 754. 3) Der cod. Eb. hat hier mehr. 4) Fehlt Hs. 5) Offenbar Schreibfehler (ebenso im cod. Eb.), denn bei Richolf ist dieselbe Zahl angegeben. Die richtige ist 786. 6) Cod. Eb. richtiger 'XXVI' 7) Ann. S. Dis. zu 802. 8) 1552 wurde sie zerstört. 9) Cod. Eb. hat die richtige Zahl erst am Rande. 10) Eb. richtiger XXII. 11) Hs. 'uxor'. 12) Fehlerhafter Einschub der Hs. 13) Cod. Eb. hat falsche Zahlen hier sowohl wie bei den folgenden Erzbischöfen. 14) Vielmehr 863. 15) Cod. Eb. hat falsch 'Norticanis'. Synderoldus steht dort vor Liutbert. Die Ord-